

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

LXVII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

illis vestris, tu Domine Compater & Hilarius Mayerus. Acta mihi à senatu non fuerunt descripta tradita, & nescio, an tradita sint, an missa sint Spiram. Aliquid prodigii mihi apparet. Potesne cognoscere ex aliquo Deorum meliorum gentium, & an ex Diis majorum gentium secessionem fecerint? Suspicor tamen, Deos minores seorsim agitare consilia sua. Tempus est, ut citem Molshemium de injuriis. Scis quid petam? Formulam peto vel à Sulpitio vel à Scævola: vel à Trebatio. Plus tamen exspecto ab eo, qui mihi promissit consilium & operam & opem suam. Si tu ipsum monebis, confido, ipsum satis graviter monitum esse. Vale, mi Domine compater, cum uxore, liberis & tota familia. Northemii in tuo Sturmiario, 14. Martii, Ao. M D LXXXII.

Tuus quem nosti ex argumento.



LXVII.

Eidem.

Gratiam habeo, mi Domine compater, de tua erga me benevolentia & studio & constantia. Gratum mihi est, quod Gotteshemius & Laurentius Fessennas mihi amici sunt: & mei meminerint inter convivandum. Quod Gotteshemius tibi commiserit causam, quam nosti, gratum fuit cognoscere: sed velim te excurrere ad me absque Hilario Mezero: ut melius possimus de tota re statuere. Novi enim Hilarii in hujusmodi rebus festinationem, tua consilia sunt magis meditata. Est etiam alterum, quod peto, ut differas hanc specificationem, dum potes propter has, quas pono, causas. Primum quia Zolcherus mihi significavit per uxorem, brevi se adfore & adferre ad me pecuniam, spero summam fore mediocrem, sed non tantam, ut cum Gotteshemianis hæredibus utiliter transigerem. A Clarenantio etiam & à Balbanis literas lætiores exspecto: & à Beza. Si tantum adferetur, quantum exspecto, malo solvere quam specificare: si isthuc majore meo commodo fieri posset. A Bernatibus etiam exspecto subsidium, ut intelliges à D. Lobberio: cui etiam scripsi de his rebus. Ego omnem lapidem mæveo, ut istud saxum à me amoveam. Bithnerus mihi consilium dedit per Paulum rusticum Northemianum, ut aliquem vicarium Præpositum nominarem. Hoc enim fore, ut minus fit in me querelarum & sententiæ saniores, quam nunc, dicerentur. Sentio, quid ambiat & cujusmodi speret successionem. Facile explicarem me ex hac deliberatione, si tu patereris te nominari & vices meas susciperes, Orote, delibera. Puto enim, te posse facere istud honorificè. Malo enim Præpositum,

Uuuuu 2

quam

quam Canonicus nominari. Vale, mi Domine Compater. Salutem dico Uxori torique familiae tuae. Northemii Cal. Febr. Ao. 82.



LXIX.

Eidem.

Posteaquam Glasero & Brantio adfui, ut aedes habeant, quas eos possessores confido, nisi aliqui velint novas controversias quaerere majoribus turbis concitandis: & posteaquam ex his duobus Gyphanio promissum est augmentum stipendii, Glasero, ut puto, augmentum nominatum, proximi sunt, quos maxime adjutos velim pro hoc tempore. Magister Martinus Malleolus, qui semper in docendo meo obtemperavit, quoad potuit, consilio, & quoad per alios potuit, ut suo tempore indicabo: & Samuel Hubertus, cujus nec operam in docendo fideliter possum improbare, nec Patris meritorum erga Bucerum, ecclesiam & scholam oblivisci: nec necessitudinis, quae inter patrem & me fuit. Quia hi duo meam opem implorant, non possum rogatus denegare illam, quam meam sponte debebam declarare. Neque magnum utilitate sui est, neque difficile impetratu, ut mihi videtur, si aliqui essent aequiores in istis non necessariis dissidiis. Quoniam trunco Diaconorum aliquod vicariatuum assignati sunt: inter quos unus est Petri Novesiani, qui diu fuit in administratione & potestate aliquorum, nempe secunda Sti. Michaelis Archangeli & Angelorum omnium praebenda, quae tuae, qui Custos es, collationis est: & altera praebenda, cujus titulum ignoro: adeo enim paucis annis omnia sunt obscurata. Unum audio, quod puto verum esse, pertinere hanc ad collationem Decani Dasypodii. Petunt ambo a me, ut quoniam pro hoc tempore nihil aliud obtinere possunt, propter statum scholae nostrae, ut mea intercessione & tuo & Decani consensu liceat commutationem fieri: hoc est, ut Vicariatuum Malleoli Samueli adscribatur. Samuelis vero vicariatuum trunco Diaconorum assignetur. At Marcino Malleolo vicariatuum, qui est in manu custodis, detur. Hac enim ratione modico detrimento trunco Diaconorum consuli posse: eoque commode velle ipsos conquirere. Rogo te, ut tu idem velis, quod ipsi petunt & tu istud a Capitulo postules tuum jus, quod perturbatione scholae fuit Custodibus superioribus obscura ratione interceptum. Huic petitioni ipsorum resistere non possum, praesertim cum absque scitu meo atque consensu Canonicatus sit adjunctus huic ipsi trunco, quae res nova & inaudita est, decreta non pleno, ut loquuntur, Capitulo & absente Praeposito. Sed tamen de hoc pro tempore controversiam non moveo; solum peto, ut quoniam truncus Diaconorum auctus est novo

Cano-